



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 313. Usque Ad Annum 361

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 90117778

§. 31. Leges Constantini.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66022)

§. XXXI.

Sæculum IV.
A. C. 326.

Leges Constantini.

Non nullas leges a Constantino latas invenimus in causis Ecclesiasticis, datas anno 326. ipso septimo, & filio ejus Constantino primo Consulibus. Earum

Lib. 6. Cod. Theod. de sep. & Cler. lib. 16.

prima directa est ad Ablavium prima die Junii, eosque, qui ad præstationes publicas in urbibus tenentur, Clericalis ordinis obtentu eximi prohibet; nullum Clericum ordinandum, nisi ut in alterius defuncti locum succedat, tales non eligendos, qui sublimiore loco nati, aut pinguiori fortuna beati ad portanda onera civilia obligantur, quia, inquit lex: divites oportet pendere Sæculi exactiones, pauperes autem Ecclesiarum bonis nutrir. Clericorum numerus erat determinatus, quia nullæ fiebant ordinationes vagæ; singuli certæ Ecclesiæ erant addicti; a communibus oneribus exempti, sed ne exemptionis occasione abusus nasceretur, lege cavebatur.

Duæ aliæ leges ad hæreticos pertinent; una data est prima Septembris, jubetque, privilegia, in favorem Religionis concessa, solis Catholicis profint, non vero hæreticis, vel schismaticis, quos aliis magis gravari oporteret. Lege ultima Novatianis quieta possessio domuum suarum, Ecclesiæ, & Cœmeterii conservaba-

Lib. 1. Cod. Theod. de hæ. lib. 16.

Lib. 2. ibid.

Sæculum IV. tur, quæ legitimo titulo adquisierant
 A. C. 326. aliunde, quam ex iis, quæ ante eorum
 separationem Ecclesiæ Catholicæ fue-
 rant propria. Minus invidiosum erat
 Novatianorum, quam aliorum illius tem-
 poris hæreticorum schisma, atque Impe-
 rator Acesium eorum Episcopum propter
 morum probitatem magni faciebat.

Sozom. I.
 c. 23.

§. XXXII.

S. Helena S. Crucem invenit.

Sup. l. III. Inter Cæsareæ liberalitatis monumenta,
 §. 25. quibus condendis annus Imperii ejus
Euf. III. vigesimus occasione fuit, magnificæ Ec-
vit. c. 26. clesiarum structuræ, præsertim in Terra
 27. *Et c.* Sancta, sunt accensendæ. Gentiles, ut
Ruf. I. hist. memoriam Resurrectionis JESU Christi de-
 c. 7. lerent, specum S. Sepulchri repleverant,
 & multam superinjectam terram pavimento lapideo straverant, cui templum Veneris superstruxerunt, ubi consueta huic Deæ sacrificia offerebantur, hæc omnia eo consilio, ut si Christiani JESUM Christum adoraturi venirent, Veneri cultum exhibere viderentur. Constantinus mandata dedit, ut ibi Ecclesia singulari magnificentia ædificaretur; scripsitque Episcopo Macario epistolam, qua velle se dicit, ut hæc structura non reliquas Ecclesias solum, sed etiam omnia urbium ædificia operis elegantia superaret. *Jussa dedit,*